



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XIX. De Obligatis ad Ratiocinia Ordinandis vel non.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63440)

TITULUS XIX.

De Obligatis ad Ratiocinia ordinandis, vel non.

SUMMARIUM.

1. *Quinam dicantur Obligati ad Ratiocinia.*
2. *Quomodo sint irregulares.*

Obligati ad ratiocinia dicuntur qui propter administrationem alienorum bonorum temporalium, vel publicam, qualem habent Curiales, seu qui procurant negotia & officia curiæ, uti Quæstores, tributorum Collectores, Procuratores Collegiorum, Præfetti Urbium, Commissarii militum &c. vel privatam, uti Tutores, Curatores, Testamentorum Executores &c. adstringuntur alteri ad rationes reddendas. Ad hos non pertinent administratores rerum Ecclesiasticarum, causarum & locorum piorum, defensores pauperum; neque obligati aliis ex mutuo, aut alio contractu.

Dico. Obligati ad ratiocinia non ordinantur licitè, nisi depositò priùs officiò rationes redderint, & plenam à suis Principalibus liberationem obtinuerint. *can. 59. d. 50. can. 3. d. 54. c. un. h. t.* Ratio est partim, ne contingat indè Ecclesiam litibus aliisque incommodis vexari, Ordinatos verò temporalibus curis nimium involvi, partim ne fiat præjudicium & fraus iis, quibus obli-

gati sunt; si enim ordinati fuerint, consequuntur privilegium competentiae, vi cuius in ipsis plena executio fieri nequit, sed relinqui eis debet congrua sustentatio.

TITULUS XX.

*De Corpore vitiatis ordinandis,
vel non.*

SUMMARIUM.

1. *Vitiati corpore sunt in triplici classe.*
2. *An promoveri ad aliquem Ordinem, & a promoti ministrare in aliquo possint.*
3. *Quis dispenset in vitio corporis.*

I **V**itiati corpore, quos ordinari non convenit, sunt in triplici classe. In 1. *Mutilati.* In 2. *Debilitati.* In 3. *Deformes.* Ad *Mutilatos* spectant, qui carent aliquo corporis membro, v. g. linguâ, oculis, auribus, manu, uti muti, cæci, surdi, unimani: item qui cum peccato mortali sibi ipsis vim intulerunt, etiam partem membri tantum, v. g. digitum, amputando & qui se ipsos castrârunt, vel castrari fecerunt, aut sponte permiserunt. Ad *Debilitatos*, qui unum vel plura membra, quæ ad sacrum ministerium requiruntur, habent prorsus inutilia, uti quibus est lingua valde ligata, manus arida, aut digitis Canonicis, indice & pollice destituta, crus valde contractum: item laborantes morbo gravi moraliter incurabili
sive.